

*Philo. 25*  
DISPUTATIO METAPHYSICA,

*De*  
**VERITATE.**

*Quam,*  
SANCTA TRIADE BENIGNE ADSPIRANTE,  
IN CELEBERRIMA WITTEBERGENSI ACADEMIA,

P RÆS I D E  
**M. JOHANNE RICHMANNO**

RIGA LIVONO,

PUBLICÆ PHILOSOPHANTUM DISQVISI-  
TIONI SUBMITTIT

**ANDREAS PRÆTORIUS**  
BRANDENBURGO MARCHICUS,

AD DIEM XV. MARTII  
IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM  
HORIS MATUTINIS.

---

WITTEBERGÆ

ē Calcographeo JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.  
ANNO M DC XLVII.

# ETATI VENER



MICHAEL RICHMANNI

RIGA LITHON.

LIBERARIA MUNICIPALIS DUCENS  
SOCIIS LIBRARIAE

ANDREAS PRETORIUS

BALDWINIUS MARCIUS

ANNO MDXXVII

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM

HORS MULTRIIS

WILTELBURG

5 Chrysostomi de Iohanne Tertio Acto Thes

ANNO M DC XLI



## PRO O E M I U M .

Franciscus Patritius lib. 13. Tom. 1. discuss. Peripatet. p. m. 163. n. 30. seqq. Zachariam Mocenicum docet, quae nam sit optima Philosophandi ratio inter tot sententiarum, interpretumq; varietates, quae nos homines ad rerum nature & cognitionem, quam naturaliter cupimus omnes, vera artis optima methodo perducat, dum eam duplēcē esse innuit: alteram, quā ad rerum atq; entium ipsorum cognitionem nitimur: alteram, quā ad hominis alicuius traditionem sive opinionem Philosophamur, eāq; duplēci, vel dogmata ejus approbando, sectando, enucleando, vel etiam aliorum dogmatō confutando, rejiciendo. Nos bac vice, ut veritatem ipsam inter tot sententiarum varietates de VERITATE consequamur, utrāq; Philosophandi rationem amplectimur. Præcipue vero primam illam, quā sibi solam rerum veritatem cognoscendam proponit. Praequa veritate nullares alia Philosopho cordi esse abeat. Minus præcipue vero ad autoritatem etiam Augustini & plur. Rever. atq; Excell. Dn. D. Scharffii, Præceptoris nostri venerandi Philosophabimur, primō quidem ejus sententiam de Veritate approbando, & per consequens aliorum refutando. Unius enim rei non nisi unica Veritas, quemadmodum & una quidditas. Ut autem statim in limine curvis de nostra constet methodo, & quid sibi de nostra disputatione impostorum quisq; polliceri possit, 4. proposituros apud animum induxisse nos, dicimus. 1. quidem Veritatis quidditatem. 2. Proprietates. 3. Distinctiones. & 4. tandem opposita. Faxis Deus benignissimus, qui Veritas ipsa, ut gratia ejus in omnem ducamus Veritatem. Sit itaq; bono cum Deo

## THEOREMA I.

Veritas est affectio entis unita, quā illud habet entitatem sibi debitam.

EXPLICATIO. Ad pleniorē Theor. nostri intelligentiam plurimum confert enucleatio definiti s. potius descripti. quo-

*ad Nomen. 2. quoad rem.* Prius quod concernit, sciendum, Veritas nomen ambiguum esse, quod prius distinguendum quam definiendum, ne multiplici ejusdem significatione obruamur. Hoc Philosophorum monito duci, prius varias veritatis significations adjicimus, ut postmodum facilius multo ejusdem definitionem comprehendere queamus. *Supponitur autem Veritas nonnunquam à Philosophis.* 1. *pro veritate vite*, quando homo in vita sua implet id, ad quod ordinatur per intellectum divinum. 2. *pro Veritate iustitiae*, quando homo servat id, quod debet alteri secundum ordinem legum. 3. *pro realitate*, quā aliquid ὄντως revera existit. 4. *pro Proprietate entis*. Alias acceptiones Veri vide sis apud Finckum disp. 5 Met. p. 103. Nos prioribus veritatis affectionibus rejectis, quā partim aliena, partim entis Synonymum, ultimam, tanquam objecto nostro aptissimam, retinemus. Alias etiam vox Veritatis substerni solet. 1. *Materialiter & concretive*, prout quasi cum ipsis rebus crescit, quomodo omnes habitus inquirunt in rationem Veritatis, quia omnes verè cognoscunt sua objecta. Sic *Pneumatista* tradit, quānam sint veræ proprietates Spiritus tum in genere, cum in specie considerati. Sic *Physica* docet, quinam motus verè sit naturalis, & à quonam oriatur, ut ita veritas motus orbium cœlestium magis magisq; pateat. It. quānam sit vera ratio formalis loci, aut etiam naturæ. Sic *Mathematica* docet, quanta verè sit cuiusq; loci vel longitudo vel latitudo. Sic *Ethica*, quid verè sit virtus, iustitia aut candor inculcat. Imò sic ipsa quoq; *Metaphysica* explicat, quānam sit vera ratio Unitatis, Bonitatis, Necessarii aut Contingentis. 2. *Formaliter, practicive & abstractive*, in quantum quidditatem Veritatis à rebus quasi avulsa concipimus, & quid & quotuplex ea sit, inquirimus. Prior Veritas ab aliis dicitur *Veritas in actu Exercito: posterior verò in actu signato*. Et hactenus de nomine.. Secundum Rem Veritas dum consideratur, exprimitur conceptus determinabilis & determinante. Determinabilis est affectio entis unita, secundum quem coincidit cum Unitate & Bonitate. Dicitur *Affectio*, quia enti per se competit, & ex ejus intrinseca ratione fluit, adeoq; illud necessariò consequitur & denominat. *Affectio autem non predica-*

*dicamentalis*, quā realē ut plurimum videtur inferre compositionem, indeq; non raro realiter à subjecto suo principali atq; ultimato distinguitur, sed transcendentis dicitur, quā non est adstricta affectionum prædicamentalium legibus, sed classes prædicamentorum transcendent, & intrinsecè in quacunq; entitate reperitur. *Unita* verò, quia solitariè, atq; conversione tamen simplici, quām per contrapositionem cum ente convertitur atq; reciprocatur; ita ut verè dicere queam: Omne ens est verum, Et: Omne verum est ens, It: Omne ens est verum. Et: quicquid non est verum, non est ens. Non secus ac Unum & Bonum de ente enum̄iantur. *Determinans est entitas debita*, qui restringit ac determinat conceptum istum magis communem ad Veritatem, & non ad Bonitatem aut Unitatem. Et sicut alias in Unitatis, ita & in Veritatis conceptu determinante duo sunt attendenda, primum est materiale, quod est ipsa entitas, non quidem sub adæquato conceptu considerata. Non enim conceptus veritatis adæquatur toti significationi entis, sub qua & alia comprehenduntur affectiones, ut *Unitas* &c. sed sub inadæquato conceptu apprehensa, sc. cum debetate tantum. Non secus atq; in divinis, cum concipimus misericordiam Dei, quam sonorare asserimus ipsam essentiam Dei, non quidem sub adæquato conceptu, secundum quem includit etiam alia attributa divina, sed tantum sub inadæquato conceptu, vid. in ordine ad actus misericordiæ tantum. *Alterum verò est Formale*, quod exprimitur per debetatem, ut ita mihi nunc loqui liceat, propter rerum copiam & verborum inopiam. Hinc nec sola entitas, nec sola debetitas verum facit: sed utrumq; entitas debita. Sic Petrus est verus homo, quia habet naturam sive entitatem sibi debitam.. h. e. constat tali corpore organico & anima rationali.

**REFUTATIO.** Veritas itaq; rei, quā est entis proprietas non recte definitur per id, quod extra essentiam ejus est. Hinc si ve illud adsit, sive absit, res veritatem tum demum non accipiet, neq; eadem eidem abrogabitur. Et hoc est, quod August. Tom. 1. lib. 2. Sôlog. c. 5. fermè his verbis eruditè notat: Verum est id, quod est, non autem id, quod videtur, aut quod tale est, quale videtur.. Quia etiamsi res non videatur, neq; conformitatem

habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera. Item: Verum non rectè dicitur esse id, quod ita se habet, ut videtur cognitori, quia secundum hoc nihil esset verum, si nullus cognosceret? Quæ Augustini sententia rei Veritati est convenientissima. Ceterè nullum ens ideo verum, quia cognoscitur, sive videtur, ut ens verum, sed contra potius, quia verum ens est, ideo cognosci & videri potest, sive aptum est inducere veram de se, estimationem, & gignere proprium sui conceptum. Sic verus homo, vera arbor, vera planta aut herba est, non quia cognoscitur talis, sed contra quia in se verum quid est, ideo intelligitaliter potest. Quod ipsum innuere etiam videtur. *Rutgers lib. I.*  
*Inst. Met. c. 15. de Verit. quando p.m. 101.* sic loquitur: Quamvis inter entitatem & cognitionem possit excogitari quædam relatione, nihilominus tamen Veritas entis non importat eam ex via sua, sed sufficit nuda concomitancia cognitionis, ita ut si per impossibile impediretur resultantia relationis, nihilominus ex via ipsius entitatis & intellectus in natura positorum (quanquam hæc verba: & intellectus in natura posituru posuisset omisisse) absq; ullo superaddito, etiam secundum rationem, ipsum ens sufficienter conciperetur, ut Verum. Quod idem dissideri non potest. *Vir pl. Rep. art. Excell. Dn. Calo in diu. Met. c. 5. de Verit. Porism. 7.* quem lege ibid. Non itaq; conformitas rei cum intellectu divino erit Veritatis formalis ratio constituens, sed ejusdem saltem consequens, cum intellectus divinus sit extra essentiam rei veram scilicet denominandam. Imò relatio ista, quam subinferit conformitas ista in ordine ad intellectum divinum, est rei relatio, adeoq; inter extrema re ipsa distincta. Affectiones autem essentialiter ipsum ens includunt, adeoq; non realiter, sed saltem formaliter distinguuntur. Quod sane non esset, si Veritas rei in ordine ad intellectum divinum describeretur. Quod & *Masius lib. 4. de ente & ejus Propriet. c. 2. p.m. 220.* afferre non veretur. Conformatatem, dicit, rerum cum intellectu divino in recto ex præcipuo significato non denotare habitudinem aliquam, sed naturam absolutam, nimis rem entitatem cuiuslibet rei, quæ à supremo ente, tanquam à primo totius entitatis uberrimo fonte

fuit

fuit derivata. Minus tamen præcipue & secundariò exprime re quandam habitudinem mensurati ad primum exemplar & mensuram. Et eadem ratione Verum non addit enti relationem aliquam tanquam præcipue significatam, sed secundariò & minus præcipue. Est enim in recto ens, & in obliquo relatum quodam ad intellectum. Manet igitur, ut auctor quavis intellectus consideratione cœlum, elementa, & quæ ex illis conflantur, sint vera veritate rei & transcendentali. Sunt enim entia, quamobrem erunt veras. Quibus enim à parte rei competit natura subjecti, illis quoq; debet proprietatis ratio convenire. Cum itaq; verum reciprocatur cum ente, & idem est cum eodem, sequitur, quod quemadmodum ens non dehortat intrinsecum ordinem & relationem ad intellectum sive ad extra: ita quoq; nec verum de se, qua tale denotare intrinsecam relationem ad intellectum sive extra: sine qua ut in se ens est, sic & verum ens, etiamsi ea relatio præcisè non attendatur. Relatio ergo illa, quæ est conformitas rei cum intellectu divino, mere erit extrinseca. Unde immotum manet *Theorema*, quod Veritas sit affectio Entis Unitæ, quæ ens habet entitatem sibi debitam, quippe quæ descriprio non extra essentiam rei seu entis est, sed ab intrinseca sua entitare dēsumpta. Consentientem habemus Virum plur. Rever. art. Excell. Dn. D. Scharrfum in exempl. met. lib 2. c. 2. de Verit. ubi inquit: Universaliter verum id vocari, note quod in se & sua natura est, uti esse debet.

## THEOREMA II.

Proprietates Veri sunt vel communes, vel speciales:  
communis. 1. est realitas. 2. distinctio rationis ab ente, & reliquis entis affectionibus. 3. reciprocatio. 4. Unitas. Specialis, est intelligibilitas.

EXPLICATIO. Proprietates communes dicuntur, quia insequuntur essentiam Veri, ita tamen, ut non soli Veritati, verum & aliis quoq; entis attributis appropriari queant. Et quidem 1. est realitas. Hinc Veritas affectio realis dicitur, tum quia Veritas omni enti citra operationem aut impositionem nostri intellectus competit, tum quia alias veritas esset diversæ ab ente naturæ, & per consequens non ens sive nihil, adeoq; nec de ente prædicto.

te prædicabilis; nèdum cum eodem convertiblìs. 2. est distin-  
tio rationis. Distinguitur veritas ab ente. Nisi enim ab ente  
distingveretur, jam non esset proprietas, sed ipsum ens. Distin-  
gio autem ista non est realis, quia sic ens esset compositum ali-  
quod reale, & per consequens non posset attribui Deo, utpote  
enti simplicissimo: sed rationis ratiocinata, quia distinguitur  
tum ab ente, tum ab ejusdem affectionibus non radicaliter, ma-  
terialiter & fundamentaliter, sed formaliter, ita ut concipiendo  
unum, non concipiatur alterum. Hinc alium formo conce-  
ptum de ente ut ens est, alium de ente ut unum, & alium etiam  
prout verum est. Quanquam quoad rem coincident ha pro-  
prietates & inter se, & in ente ipso. Ens enim quidditativè de  
suis passionibus dicitur, quia non per non-ens sive nihil descri-  
buntur, sed per ens, cum inter ens & non-ens non detur me-  
dium. 3. est reciprocatio non quidem secundum rem, quia Veritas  
& ens non dicunt eandem naturam adæquate, quia plus est in  
ente quam in Vero: neg. secundum conceptum, quia Veritas licet  
idem sit cum ente re, distinguitur tamen ratione: sed secundum  
prædicationem, quia adæquatur Veritas ipsi enti in suppositis,  
ita, ut de quoq; praedicetur ens, de eodem etiam dicatur  
Veritas, & contra. 4. est unitas. Sicut enim unius rei unica est es-  
sentialia: ita quoq; unius rei non nisi Unica Veritas essentialis. Et  
sicut una est Veritas rei, ita quoq; una est Veritas cognitionis,  
quippe quæ dependet & mensuratur a rebus. Quemadmodum  
igitur res ipsæ fixæ manent: ita & veritas cognitionis immota  
constabit. Specialis, est intelligibilitas, quia hæc è sola veritate  
resultat, non secus atq; appetibilitas è bonitate. Unde quæ  
non est intelligibile, non cadit sub intellectum, quia non est ve-  
rum. Verum etenim, è quo emanat intelligibilitas intellectus  
objectum formale rectè statuitur.

REFUTATIO. Errat igitur. 1. Durand. lib. i. sent. dist. 9. quest.  
5. & 6. Veritatem ens rationis esse existimans, referente id Masio  
lib. 4. de ente & ejus propriet. c. 5. 2. Sibyllinorum assecla, dupli-  
cem Veritatem statuentes, ita quidem, ut una propositio vera in  
Philosophia, falsa sit in Theologia, & vice versa. Qua de re vid.  
D. Graver. in pecul. tract. de duplice Verit.

### THEOREMA

THEOREMA III.  
Veritas. 1. alia est rei. 2. alia sensuum. 3. alia intellectus. 4. alia  
habituum intellectus. 5. alia Orationis. 6. alia Scriptura. Quæ Ve-  
ritates per gradus ita sunt dispositæ, ut à priori posterior semper  
pullulet. Inter quas tamen prima & principalissima est rerum  
ipolarum Veritas, à qua reliqua omnes pronascuntur. Vid. Franc.  
Patris. Tom. I. discus. Peripatet. lib. 13. p. m. 105. n. 10.

EXPLICATIO. Veritas res, alias Veritas objectiva, entitativa,  
Metaphysica & in essendo dicitur. Et est illa, quæ Th. I. a nobis fuit  
repræsentata atq; descripta. Cujus descriptio καταλογος  
servata proportione, omni alii Veritati accommodari debet.  
Unde etiam habet, ut Veritas transcendentalis audiat, quia tran-  
scendit omnia, & intrinsecè in quacunq; entitate reperitur.  
It. materialis & fundamentalis, ut reliqua veritates ab hacce unica  
tanquam a radice & fundamento dependant. Sicut enim o-  
mnium primo tent res ipsæ. 2. Conceptus seu cognitio sive in-  
tellectus sive sensualis. 3. acquisita magis cognitio intelle-  
ctualis, quæ 4. in habitibus ipsis reperitur. 5. voces & 6. Scriptar.  
Ita quoq; a Veritate rei deinceps ordinae dependet veritas cogni-  
tionis: quæ communiter sive populariter in sensibus cernitur,  
prout iisdem obicitur. Et à veritate sensuum illustratur Veri-  
tas in intellectu, secundum illud: Nihil est in intellectu, quin  
prius fuerit in sensu. Scilicet ratione acquisita notiæ, ut alibi  
disputatur. Hinc porro à Veritate intellectus, veritas depre-  
henditur in habitibus. Nam qui compositiones ac divisiones re-  
rum ratione ac Agnoia agitat, facile sibi habitum comparare  
poterit, adeoq; ex habitu verum nosse. Et à Veritate habitus,  
Veritas sermonis. Unde qui scientifice vel alio habitu verum  
novit, potest illud sine ulla difficultate sermone proferre. Et à  
Veritate sermonis, Veritas in Scriptura collocatur. Quod enim  
præsentibus sermone aut voce, id absensibus literis vel Scriptu-  
ra communicare solemus. Veritas sensuum nihil aliud est, quam  
debita sensus circa proprium suum objectum per species ad se-  
delatum certo corporis organo apprehensio ac dijudicatio. De  
qua Veritate locutus est Ari. 3. de anima c. 6. dicens: Visum cir-  
ca colores esse verum. & 2. de anima c. 6. sensum non posse falli

B

circa

circum suum proprium objectum. Quot autem ad omnem sensationem requirantur, & quando judicium sensuum sit infallibile; pete ex peculiari quodam tractatu de anima sensitiva conscripto & publice dictato à Viro Clariss. atq; Excell. Dn. Sperlingo, *Præceptore nostro erit honorando, cap. 4. it. quæst 1. ejusd. cap.* *Veritas intellectus, alias Veritas cognitionis, Veritas conformativa, seu animi est debita objecti intelligibilis comprehensio. Hæc duplex esse statuitur, ita ut alia sit complexa, alia incompleta. Incomplexa nihil aliud est, quam talis conceptus, quo mens simpliciter speciem cuiusq; rei intelligibilem debito modo apprehendit. Complexa est debita intellectus compositio vel divisio cum rebus compositis vel divisis. Hæc Veritas complexa 1. vel est nota, vel ignota. Nota est, quando ob rerum evidentiam inter componendum vel dividendum intellectus statim cognoscit, debitam factam esse compositionem vel divisionem. Et hæc Veritas dici solet *Propositionum Veritas. Ignota* est, quando ob rerum perplexitatem non statim primo intuitu, an facta compositio vel divisio debita sit, cognoscitur. Unde adhibito discursu per manifestiora alia media inquiritur, & sit nota. Dicitur alias *Syllogismorum Veritas. 2. vel est sententiarum, vel connexionum. Sententiarum Veritas* est, quando Orationes tales sunt, ut esse debent. h. e. verificantur in ipsis rebus. *Veritas connexionum* est debita terminorum sive in propositionibus, sive in syllogismis connexioni. De hac judicium fert sola Logica. De ista judicat Philosophus, vel superiori facultati addictus alius, non ex Logica, sed ex ipsa Philosophia, vel facultate alia. *Veritas habitus* est qualitas, quæ recte & facile intellectus fertur in objecta, quæ sibi contemplanda proponuntur. Habitus isti sunt 3. ut Aristor. lib. 6. Eth. c. 3. recenset, quibus semper verum dicimus & apprehendimus. *Veritas Orationis* est debitus Interpres veritatis ejus, quæ intra mentem retinetur. Estq; duplex; ita ut alia ad animum proferentis; alia ad rem extra animum existentem referatur. Illa est debita sermonis cum conceptu mentis conformitas. Sive ut alii dicunt: est congruentia oris cum corde eloquentis, sive sermo iste cum re ipsa conveniat, sive non. Alias dicitur *Veritas Ethica*, sive *veracitas*. Hæc est debita orationis,*

rationis, sive scriptæ, sive prolatæ cum re ipsa pronunciatio: & coincidit cum Veritate cognitionis. *Veritas Scripturæ* est debitum signum sive interpres ejus veritatis, quæ est in sermone, ad hoc instituta, ut absentibus mentem nostram manifestaremus, cum quibus sermonem miscere non possumus. Quod testatur Cicero lib. 2. ad Famil. ep. 3. sic inquisens: *Unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est (intelligit autem epistolæ,) ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos sciære, aut nostra aut ipsorum interesset. Utramq; Veritatem Philosophi vocant veritatem in significando, quia signum representat id, quod representare debet. Scriptura autem sunt signa vocum, quemadmodum voces sunt signa conceptuum. Veritas hæc pertinet ad habitus instrumentales ex professo circa terminos, voces & literas significatas, occupatos.*

**REFUTATIO.** Hallucinantur itaq; illi, qui ex locis Aristotelis quibusdam male intellectis concludere conantur, Veritatem nullam dari in simplici rerum apprehensione, sed tantum in compositione & divisione deprehendi.

**THEOREMA IV.**  
*Veritati rei sive transcendentali opponitur non veritas. Veritati sensuum, deceptio. Veritati intellectus, & quidem incomplexa, ignorantia simplex: complexa, falsitas. Veritati habituum, Ignorantia prædicta dispositionis. b. e. opinio, existimatio sive error. Veritati Orationis sive Ethicae, mendacium. Veritati in significando, signum falsum.*

**EXPLICATIO.** Quamvis populariter loquendo Vero opponatur Falsitas. Nihilominus tamen, si rem *αληθείας* metit velimus, tunc sicut alia atq; alia veritatis est acceptio: ita etiam aliud atq; aliud habet oppositum. Unde rigorose loquendo cuilibet veritati non quodvis opponitur, sed *Veritati rei, sive transcendentali* opponitur non-veritas, quia veritas transcendentalis competit omni enti, ut etiam hinc affectio unita vobiretur. Opponitur itaq; *non-verum vero*: sicut non-ens entis. Hinc quod non est, ne quidem verum est. *Veritati sensuum, deceptio.* Quando enim sensus sua objecta debito modo non

da non attingunt, decipi dicuntur. *Veritati intellectus*, sive co-  
gnitionis, & quidem incompleta, ignorantia, quæ est cognitionis  
privatio. In specie vero ignorantia pura negationis, secun-  
dum quam simpliciter aliquis ignoratur, & nihil de re aliqua  
intelligitur. Sic quando Ethnicus ignorat Angelos esse, vel  
mundum deesse, tunc non falsitas in intellectu Ethnici esse  
creditur ex re orta, sed adest ignorantia veri, quod scire debe-  
bat. Sic aliquis simpliciter sine falso in mente conceptus  
ignorat Ecclipsin esse. *Veritati cognitionis complexa opponi-*  
*tur falsitas*, quæ tamen non est in rebus, sed in mente compo-  
nente vel dividente res modo indebito. *Veritati habitum op-*  
*ponit ignorancia præve dispositionis*, quæ est opinio, existimatio  
sive error de re aliqua. Et hæc semper est conjuncta eam  
persuasione scientia. Unde sepius causa malitiarum corruptio-  
narum & errorum existit, sicut videtur est in Hæreticis. *Veri-*  
*ti orationis sive Ethica, mendacium*. Unde qui loquitur con-  
tra mentis conceptus, non falsum, sed mendacium protulisse  
dicitur. Hinc etiam mentiri vulgo idem dicitur, qua-  
si contra mentem ire, quando quispiam aliud in animo gerit,  
& aliud verbis emuntat. *Veritati vero in significando opponi-*  
*tur signum falsum*, quod non repræsentat id, quod repræsentare  
debet.

REFUTATIO. Non immerito ergo à nobis castigantur  
illi, qui contendunt, falsitatem in usu termini recepto sic di-  
ctam etiam in ipsis rebus reperiri.

Tantum.

Præstantissimo atq. Literatissimo  
DN. RESPONDENTI, DE VERO TRANSCENDENTALI  
disputanti, Amico ac Commensali dilecto.  
**V**era petunt omnes: veri doctrina profunda est: sed illius ob-  
ligatio Hanc prime. Sophia pulchra rure docente.  
Sic bene nunc satagit, transnaturalia pandis.  
non Perge, opus insigne est. Premia magna feres.  
Gratulab. approp.  
JOHANNES SCHARFIUS Theolog. Doctor  
& h. t. Colleg. Philosoph. Decanus.

Univ. Bibl.  
München